



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CXCIV. Ioannis Papae VIII. Ad Tvventarvm De Maravna. Hortatur,
vt omnem falsam doctrinam reiiciens, in Romanae ecclesiae fide maneat.
miratur Methodium aliter, quam fuerat professus, docere: ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

EPISTOLA CXCIV.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD TVVENTARVM DE MARAVNA.

Hortatur, vt omnem falsam doctrinam reiiciens, in Romanæ ecclesiæ fide maneat. miratur Methodium aliter, quam fuerat professus, docere: & propterea a se vocatum fuisse significat.

Tuuentaro de Marauna.

SCIRE VOS volumus, quia nos qui per Dei gratiam beati Petri apostolorum principis vicem tenemus, pio amore vos quasi carissimos filios amplectimur, & paterna dilectione amamus; nostrisque assiduis precibus vos omnes Iesu Christo Domino commendamus, orantes semper pro vobis, vt Deus omnipotens, qui corda vestra illuminavit, & ad viam veritatis perduxit, in bonis operibus confirmet, & vsque ad finem in recta fide bonaque actione decoratos vos, atque incolumes dignetur perducere. Quod autem, sicut Ioanne presbytero vestro, quem nobis misistis, referente didicimus, in recta fide dubitetis; monemus dilectionem vestram, vt sic teneatis, sic credatis, sicut sancta Romana ecclesia ab ipso apostolorum principe didicit, tenuit, & vsque in finem seculit tenebit, atque per totum mundum quotidie sanctæ fidei verba rectaque prædicationis semina mittit, & sicut antecessores nostros sanctos videlicet sedis apostolicæ præfules, parentes vestros ab initio docuisse cognoscitis. Si autem aliquis vobis, vel episcopus vester, vel quilibet sacerdos aliter annuntiare aut prædicare præsumperit, zelo Dei accensi omnes uno animo, vnaque voluntate doctrinam falsam abiicie, stantes & tenentes traditionem sedis apostolicæ. Quia vero audiimus, quia Methodius vester archiepiscopus ab antecessore nostro Hadriano scilicet papa ordinatus, vobisque directus, aliter doceat, quam coram sede apostolica se credere verbis & literis professus est valde miramur: tamen propter hoc direximus illi, vt absque omni occasione ad nos venire procuret; quatenus ex ore eius audiamus, vtrum sic teneat & credat, sicut promisit, aut non. Data vt supra.

EPI-